

abalienabit a te propria bona; Syrus, ne adhaereas iniquo, ne forte pervertat viam tuam, et convertat te a statu (alius codex habet, a conspectu tuo). Est ironia, q. d. Suscipe, si libet, in domum extraneum quem non nosti, nec satis explorasti; sed scito quod gravi periculo te exponis, ne ille vafre te a tua domo bonisque excludat, eaque sibi arroget et usurpet, ut fecit Jugurtha, qui in regiam receptus a Masinissa rege, ejus filios et familiam everit; unde ortum est Romanis bellum Jugurthinum, quod describit Sallustius. Et Herodes Aescalonita a se in familiam Hyrcani, omnem ejus et Assamonæorum, sive Machabæorum, stirpem extinxit, ejusque regnum usurpavit, ac Judææ se regem creavit, uti narrat Josephus in ejus Vita. Huic conceit adagium Græcorum: «Atticus advena,» quod citat Aristoteles lib. III *Rhetoric.*, dici solitum in advenas violentos, qui inquietos sedibus suis exturbant. Duris apud Zenodotum ait ex Atticorum moribus natum, quod olim finitimos e suis sedibus exigere consueverint. Craterus inde manasse putat, quod Athenienses (in Attica primi) qui in Samum missi fuerant, indigenas expulerint.

Vidi olim Lovanii catulum vulpeculæ recens natum, ex nido matris sublato inseri nido catulorum felis, ut ab ea lactaretur; sed catulus vulpeculæ crescens, post paucos dies, catulos felis occidit, sibi que soli nidum usurpavit. Idem fecerunt, et faciunt alienigenæ. Unde Christus Herodem juniorem, Herodis jam dicti filium, vocavit vulpem: «Dicite, inquit, vulpi illi,» *Lucæ* XIII, 32. Denique hæc sententia sæpe vera est, at non semper: significat enim quod crebro fiat ab advena avaro et superbo. Sunt enim advenæ prohi, qui hospites suos ditant et leant.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit docere a quibus cavendum sit, nimirum ab impiis et ab inimicis. Igitur, vers. 1 usque ad 8, docet benefaciendum esse justo, non impio. Inde, vers. 8 usque ad finem, docet inimico non esse fidendum etiamsi amicitiam simulet.

1. Si benefeceris, scito cui feceris, et erit gratia in bonis tuis multa. 2. Benefac justo, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certe a Domino. 3. Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, et eleemosynas non danti: quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus. 4. Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem: et impiis et peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. 5. Da bono, et non receperis peccatorem. 6. Benefac humili, et non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit. 7. Nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi, quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. 8. Non agoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis

Tropologice, Admitte alienigenam, id est, opus et occupationem quæ a tuo instituto et professione aliena est; ac subvertet te in turbine. puta, cum magna animi turbatione, et abalienabit te a tuis propriis sanctitatis exercitiis, quia virtutum faciet pauperem, dum laxitatis faciet amatorem. Talibus dicat S. Basilius, et ex eo Cassianus lib. VII *De Institut. renunt.*, cap. XIX: «Senatorem perdidisti, et monachum non fecisti.» Et illud S. Gregorii: «Appetens aliena privatur suis.» Ita Clericus et Religiosus, tractans sæcularia, sua spiritalium sorte se fraudat, nec dicere potest: «Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei,» quia ejus pars et sors est sæculum. His dicit Christus gemens: «Extraneus (S. Augustinus legit, alienatus) factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ,» *Psal. LXXVIII*, 9. «Quid tibi cum mundo, qui major es mundo?» ait S. Cyprianus. Quocirca Salomon, *Prov. XXVII*, 8: «Sicut avis, inquit, transmigrans de loco suo, sic vir qui derelinquit locum suum. Rursum alienigena hic et peregrinus est concupiscentia, quæ Davidem ceterosque probos expellit e sede propria mentis suæ, ut vagentur per illecebras meretricum et epularum, uti docet S. Chrysostomus in *Psal. I*. Anima enim quid externum amans, quasi a se exit, et peregrinatur foris: quia anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Porro id facit in turbine, turbando nimirum judicium rationis, ne illecebrarum fraudem videat; sicut piscatores solent perticis turbare aquas ut expiscentur anguillas, teste Aristotele lib. VIII *Histor. anim.*, cap. II, et Plinio lib. IX cap. XXII. Unde Aristophanes in *Equitibus*, eos qui in reipublicæ perturbatione se ditant et extollunt, comparat piscatoribus anguillarum. Unde et proverbium: «Piscari in aqua turbida.»

inimicus. 9. In bonis viri, inimici illius; in tristitia et in malitia illius, amicus agnitus est. 10. Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim ærumentum, æruginat requiritur illius: 11. et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo. 12. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in lectum tuum, inquirat cathedram tuam: et in novissimo agnoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris. 13. Quis miserebitur incantori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? et sic qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus. 14. Una hora tecum permanebit: si autem declinaveris, non supportabit. 15. In labiis suis induleat inimicus: et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. 16. In oculis suis lacrymatur inimicus: et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine: 17. et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem. 18. In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas. 19. Caput suum movebit, et plaudet manu, et multa susurrans commutabit vultum suum.

PRIMA PARS CAPITIS,

BENEFACIENDUM ESSE PIO, NON IMPIO.

1. SI BENEFECERIS, SCITO CUI FECERIS, ET ERIT GRATIA IN BONIS TUIS MULTA. — Græce, si benefacias, scito cui facias, et erit gratia bonis tuis; Syrus, si benefacias malo, nihil facis, neque est gratia gratiæ tuæ; Tigurina, cum benefacias, observa cui beneficias, ut beneficia tua mereantur gratiam plurimam; S. Athanasius vel potius Anastasius in *Quest. 84 ad Antiochum*: «Vide cui benefacias; hoc est, inquit, quid Deo facias. Si enim ad discernendos petentes id profertur, cur dicit Dominus: Da cuique unquam te rogaverit?» *Lucæ VI*, q. d. Cum alicui benefacias, benefac propter Deum, puta propter amorem et honorem Dei; sic non tantum homini, sed et Deo benefacias, ac proinde amplam ab eo gratiam et mercedem recipies. Sic et Rabanus: «Hortatur, inquit, ut simplici animo facias eleemosynam, quia ita solummodo misericordiæ opera apud Deum probantur, si simplici et munda intentione exhibeantur.» Verum hic sensus mysticus potius est quam litteralis; agitur enim hic de homine cui bene fit, non de Deo, ut patet ex sequenti: «Da bono, et ne receperis peccatorem.»

Primo ergo et genuine, q. d. Cum benefacias, vide ne benefacias ei qui beneficio tuo abutetur ad luxum, crapulam, libidinem, fastum, nequitiam, aut certe ad acediam et pigritiam. Multi enim pauperes robusti mendicant, quos satius esset laborare, et labore manuum victum sibi parare: qui ergo talibus benefacit, alit eorum inertiam et socordiam, ac vitia inde nasci solita. Unde contra hos exstat tit. in *Jure De validis mendicantibus*, ac in civitatibus bene ordinatis tales non permittuntur mendicare, tum ne alantur in otio, tum ne eleemosynas aliis laborare non valentibus præripiant, tum ne civitati et civibus sint oneri et periculo.

Secundo, q. d. Cum benefacias, vide ne beneficium vel officium conferas indigno, vel minus digno, omisso digniore. Hoc enim est contra justitiam distributivam, et sæpe commutativam. Vide Lessium tract. *De Justitia et jure*, lib. II, cap. XXXIV, dubit. 12 et sequent. Huic simile est illud Christi: «Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos,» *Matth. VII*, 6.

Tertio, q. d. Cum benefacias, vide ne benefacias ingrato, doloso, invidio et superbo, qui beneficio tuo armatus, et potentior factus, contra te insurget, teque supplantabit. De tali enim præcessit sermo cap. præced., vers. ultim.: «Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine.» Sic se explicat *Siracides* vers. 6 et seq.

Quarto et optime, vult *Siracides* ne beneficium indiscrete, cæce et sine ratione projiciatur in quemvis obvium, sed videatur cui conferatur, ut habeat gratiam. Gratia autem et decus beneficii in eo consistit, ut deceat donantem, æque ac donatarium, id est, eum cui donatur: deceat enim beneficium beneficiato, et donum donatario esse proportionatum et commensum. Quod enim uni est nimis, alteri est parum; et quod uni est parum, alteri est nimis. Vult ergo in beneficio servari τὸ ἄρπρον, id est decorum, ut ita pariter sit gratiosum et decorum. Quod enim nobili parum est, civi nimis est; quod parum indigenti nimis est, multum indigenti parum est; quod docto parum est, indocto nimis est, etc. Rursum beneficium personæ congruum sit oportet. Pueri poma dones, viro nummos, seni vina, rustico armenta, militi arma, studioso libros, doctori officium, nobili præfecturam (incongruum enim et inutile est, si rustico lanceam, militi ligonem porrigas): sic enim δάρον est δάρον, non ἀδρον; et χάρις est χάρις, non ἀχαρίς. Sic, inquam, gratia

habet gratiam, estque non ingrata, sed grata Deo et hominibus, qui proinde illi gratias referunt, ac gratiam simili gratia compensabunt. Unde Syrus vertit, *erit gratia gratiae tuae, q. d.* Gratum et bene collocatum erit tuum beneficium, ac remuneratione dignum. Sin sine ratione profundas, ab illis nec gratiam, nec mercedem habebis. Gratia enim tam decus, quam meritum gratiae, puta gratiarum actionem et mercedem significat: sic enim dum gratias agimus, dicimur habere vel referre gratiam. Maxime autem vult Siracides ut beneficium detur pio, non impio, de quo versu sequenti.

Nota: Non est hic sermo de eleemosynis minutis et quotidianis: « In his enim praestandis, ait Palacius, non est necesse considerare et nosse quis sit cui damus; sed sermo est de grandioribus beneficiis, quae est necesse ut dignis dentur, ut sit gratia a Deo ei qui dat. Dices: Nonne Deus indignissimis nobis maxima beneficia praestat? Nonne solem suum oriri facit super bonos et malos? Nonne Paulus jubet inimicum pascere, et carbonem ignis super ejus caput congerere? Quid enim si dignis das, nonne et Ethnici hoc faciunt? Quid, num non et Seneca vult deorum exemplo, multa etiam ingratum dari? Respondetur, absque dubio verum dici ab Auctore: nam, ut Aristoteles ait, cum liberalitas sit virtus, dabit quando, quomodo, ubi, et quibus oportet. Siquidem dare quibus non oportet, non dare, sed perdere est. Ac ideo qui eleemosynas tribuere vult, maxime domesticis fidei (ut ait Paulus) et piis (ut volebat Tobias) largietur. Ergo regulariter, et ut plurimum, qui benefacit, viro bono benefaciet, ut et beneficium (liceat ita loqui) oret pro benefico, simul oret et beneficiarius, simulque gratum habeat Deus. Quod si Deus malos etiam beneficiis afficit, id, ut ait Seneca, facit propter bonos. Si enim malos malis afficeret, pertingeret hoc malum etiam ad bonos. Idem vult Paulus, cum omnia dicit Deum facere propter electos. Jan si Paulus juxta Christi sententiam jubet beneficiis inimicum vincere, id sane jubet, quia illi dando, Christo datur. Cui gratissimum feceris, si inimicum ea ratione ad meliorem mentem adducas. Demum non negamus nonnunquam ingratum dandum esse, ut grati sint. At, ut plurimum, si benefeceris, viris bonis, et id promerentibus benefeceris. » Haec Palacius.

Docent Hebraei in beneficio quatuor esse observanda. *Primum*, ut detur quoties alter eo indiget. Unde R. Aquila, praceptor Aquilae Pontici, dicebat, « inopem qui mane nostram beneficentiam esset expertus, si vespere redeat, non esse dimittendum vacuum. » Ita S. Gregorius Angelo se naufragum simulanti, secundo et tertio redeunti largam dedit eleemosynam, ideoque pontificatum meruit, ut habet ejus Vita. *Secundum*, ut eleemosyna detur clam et in occulto, non palam et in aperto aut publico; quod et docet Christus *Matth.* cap. vi, 2. *Tertium*, ut detur vultu hilari

« Hilarem enim datorem diligit Deus, » ut ait Apostolus *II Cor.* ix, 7. *Quartum*, ut eum cui damus, blandis verbis alloquamur. Nam donec gratiam conciliat benevolus sermo, qui saepe plus valet et potest, quam ipsum donum.

Siracidi adstipulantur, et quasi antistropha respondent axiomata Philosophorum, P. Mimi:

Beneficium dando accipit, qui digno dedit.

Ennii:

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Democriti in temere quibuslibet largientem: « Male pereas, quia Gratias virgines meretrices effecisti. » Ita Maximus, *serm.* 6. Comici: « Theaurus est pulcher bene locata gratia. » Archelaus cuidam postulanti poculum in convivio negavit, deditque Euripidi, dicens: « Tu quidem dignus eras qui peteres, nec acciperes; Euripides vero dignus erat qui acciperet, etiam non petens. » Ita Plutarchus in *Regum Apophtheg.*

Antigonus, Macedoniae rex, Thrasillo Cynico drachmam petenti: « Non est, inquit, munus regium. » Cynico subjicienti: « Talentum ergo da; » respondit: « Non est Cynicum tantum munus accipere. » Plutarchus ibidem.

Alfonsus, Aragonum rex, teste Panormitano, lib. II *De Gestis* ejus, dictitabat, « ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri, ideoque plures quidem esse qui darent, sed qui dare scirent esse perpaucos; at non ob id pigrius dandum esse et benefaciendum. »

Porro indignis et ingratum quandoque benefaciendum est, cum necessitas vel utilitas sive tua, sive aliena, sive privata, sive publica id exigit, praesertim ut ipsi beneficiis victi, grati et digni fiant. Ita Alexander Magnus « regium esse affirmabat, in eos a quibus male audias, bona conferre. » Alfonsus, Aragonum rex, « oblatrantibus canibus et rebellantibus offulam objiciendam » dictitabat; « Herculem etiam non rogatum laborantibus subvenire consuevisse. » S. Isidorus in *Norma vivendi*, cap. xvi: « Non eligas, ait, cui miserere, ne forte praetereas illum qui meretur accipere. Omnibus da, ne forte, cui non dederis, ipse sit Christus. » Alexander Severus Imperator rogatus « quis esset rex optimus: » « Qui, inquit, amicos muneribus retinet, ac inimicos beneficiis ambit et reconciliat. » Ita Maximus, *serm.* 9. Vespasianus Imperator monitus ut caveret a Pompiano, fore enim ut aliquando regnaret, non solum non cavet, sed et consulem eum fecit, dicens: « Erit olim memor tanti beneficii. » Seneca, lib. VI *De Beneficiis*, cap. xvii: « Malo, inquit, beneficium projiciam, bono reddam. *Malum*, quia debeo; illi, ne debeam. » Idem, lib. VII, cap. ultimum, objicit: « Ingratus est; » ac respondet: « Non mihi fecit injuriam, sed sibi. Ego beneficio meo, cum darem, usus sum: nec ideo pigrius dabo, sed diligentius. Quod in hoc perdidit, ab aliis recipiam,

Gratia sapientum.

Indignum quando benefaciendum?

Sed huic ipsi beneficium dabo iterum, et tanquam bonus agricola, cura cultuque sterilitatem soli vincam. Non est magni animi beneficium dare, et perdere; hoc est magni animi perdere, et dare; » id est, dare illi quem ingratum es expertus: Ille enim perdidit beneficium. B. Jordanus, successor S. Dominici, dans tunicam pauperi, ac deinde audiens pauperem tunicam vendidisse, et pretium epulando in taberna abligurivisse: « Malo, inquit, me amisisse tunicam quam pietatem. »

Denique quale debeat esse beneficium repraesentarunt Poetae per tres Charites, sive Gratias, quarum haec sunt nomina, Aglaia, Thalia, Euphrosyne. Has enim pinxerunt quasi tres sorores, manibus implexis, ridentes, juvenes, virgines, soluta ac perlucida veste. Causam dat Seneca, lib. I *De Beneficiis*, cap. iii: « Tres sunt gratiae, quia una est quae det beneficium, altera quae accipiat, tertia quae reddat. Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc, quia ordo beneficium per manum transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur; et totius speciem perdit, si interruptus est: pulcherrimus, si cohaesit, et vices servavit. Ideo ridentes, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse et qui dant, et qui accipiunt beneficia. Juvenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines, quia incorrupta sunt et sincera, et omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati decet, nec astricti. Solutis itaque tunicis utuntur, perlucidis autem, quia beneficia conspici volunt. »

BENEFAC JUSTO (Graece εὐεχέτι, id est pio, religioso), ET INVENIES RETRIBUTIONEM MAGNAM: ET SI NON AB IP SO (quia pauper est, vel impotens retribuere), CERTE A DOMINO. — « Retributionem, » Graece ἀντιδόμα, id est remunerationem, mercedem, praemium; Tigurina, *pretium*. Hic ostendit quibus sit conferendum beneficium, scilicet justis, misericordibus, humilibus. Quod enim justo confertur, Christo, qui in justo per gratiam habitat, tribuitur, Christusque sibi tributum aestimat. Quod ut reipsa ostenderet, ipse subinde in specie pauperis eleemosynam petiit et accepit, uti a S. Gregorio eum accepisse narrat Joannes Diaconus in ejus Vita. Idem S. Gregorius, homil. 39 in *Evangel.*, narrat Martyrium monachum in humeros suscepisse Christum in specie leprosi. Quod ergo justo impenditur, Christo justorum parenti confertur, ac proinde a Christo amplam recipiet remunerationem. Unde in die judicii dicit: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » *Matth.* xxv, vers. 34. Causam subdit vers. 40: « Amen dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis; » et cap. x, vers. 41: « Qui suscipit justum in nomine justum (id est, hoc nomine, titulo et causa, quod justus sit), mercedem justum accipiet; » et vers. 40: « Qui recipit vos, me recipit; et qui recipit me, recipit eum qui me misit. Qui recipit

Prophetam in nomine Prophetae, mercedem Prophetae accipiet, » *q. d.* Qui recipit Prophetam, id est, praedcatorem Evangelii, quia ejus praedicator est, hic mercedem praedicatoris accipiet. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et Beda *Ibidem*. Ratio est, quia talis cooperatur praedicatori, eumque suis eleemosynis et auxiliis juvat ad praedcandum, ac proinde particeps est uti laboris et meriti, sic et praemii praedicatoribus assignati. Intellige, non aequaliter (plus enim recipiet praedicator), sed secundum proportionem et mensuram cooperationis et charitatis, quia praedcatorum et praedcatorum ejus juvat et promovit. Sic enim jure communi, particeps et receptorum furum, simili cum furibus poena, plectuntur. Simile dat S. Gregorius homil. 20 in *Evangel.*: « Qui est tunc, inquit, fructum non habet, vitem tamen cum fructibus portans, nec ipsa sua efficit quae bene sustentat aliena: » sic pariter qui justum sustentat, sua efficit opera justitiae, quae justus operatur, adeoque per justum justa operatur; et qui praedcatorum sustentat, per eum praedcat et prophetat.

Unde ex hac Christi sententia recte colligit S. Ignatius epist. ad *Smyrnenses*: « Nimirum, inquit, qui honorat vincum Jesu Christi, Martyrum accipiet mercedem, » quia vincum honorando, eum ad martyrium animat et roborat. Hinc multos fideles olim hoc nomine quod Martyres animarent, alerent, servirent aut sepelirent, martyrium meritos et adeptos in Vitis Sanctorum legimus. Ex eadem pariter inferas et colligas: ergo qui viros Religiosos, Doctores, Apostolicos recipit et alit, quia tales sunt, hic mercedem Religiosorum, Doctorum et Apostolorum recipiet.

Hinc discet primo, ad insigne meritum oportere benefacere justo, non tantum materialiter, puta huic homini qui justus est, sed et formaliter quia justus est, sive intuitu justitiae. Rursum in hac beneficentia esse gradus: nam quo justus est justior tum sibi, tum aliis, id est, quo plures ad justitiam erudit et impellit, eo magis crescit ejus meritum, aequae ac praemium. Vide *Daniel.* 12, vers. 3.

3. NON EST ENIM EI BENE QUI ASSIDUUS EST IN MALIS, ET ELEEMOSYNAS NON DANTI: QUONIAM ET ALTISSIMUS ODIUM HABET PECCATORES, ET MISERTUS EST POENITENTIBUS. — Graeca, de more concisa, priorem tantum sententiam habent, hoc modo, *non est bene ei qui assiduus est in malis, et eleemosynam non danti.* S. Pacianus, epist. 3 ad *Sempronianum*, sub medio, legit, *assidue peccanti non misereor; Complutenses, non erunt bona ei qui assuetus est ad mala, et eleemosynam non separanti.* Olim enim separabatur et seponabatur nummus vel res danda in eleemosynam die Dominica in ecclesia et coetu fidelium, ut patet *I Corinth.* xvi, 2. Legunt Complutenses χαρισματα, id est, gratis danti. Unde Tigurina vertit, *assiduum in vitiis nil boni manes, nec item eum qui nihil erogat in pauperem.* Scriptum

est enim: «Date, et dabitur vobis.» Hæ sunt quasi duæ sorores: si unam tollas, scilicet *date*, altera, scilicet *dabitur vobis*, pariter abibit. Sensus est, *q. d.* Benefac justo, non autem peccatori, quia «non bene,» id est, male, imo pessime, erit ei qui assidue peccat, qui in peccatis assiduus et quasi affixus est, ideoque non cogitat de pœnitentia et eleemosyna, qua se ad pœnitentiam disponat, et peccata redimat, *q. d.* Peccatori pessime erit si in peccatis hæreat, sordescat et obsurdescat, sitque impenitens et obduratus; ut quid ergo tali benefacias, qui sibi, aliis, et Deo pessime facit? ut quid des eleemosynam ei qui aliis eleemosynam negat, nec curat eleemosyna peccata sua expiare?

Syrus aliter habet, *non est gratia ei qui honorat malum, et qui facit justo, non perdit.* S. Hieronymus, *epist. de Septem Ordin. Eccles. cap. v.*, et refertur *Dist. 93, cap. xxii Diaconi sunt*, in fine, paraphrasticè sic hanc sententiam reddidit: «Moderatio Dei ac pietas solum nostrum reditum quærit, ac nos cupit longa sua bonitate salvari. Si non convertimur, si duri corde sumus, si in peccatis usque ad mortem illicite persistimus, assidue peccantium, sicut scriptum est, non miseretur Deus.»

Noster Interpres addit: «Quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus.» Quæ verba dant causam cur bene non sit nec erit peccatori, quia scilicet Deus odit peccatores: a Deo autem Deique amore omne bonum manat, sicut a Dei odio omne malum. Cum ergo odio prosequatur peccatores, hi non nisi mala ab eo expectare debent; ut quid ergo ames eum quem odit Deus? ut quid benefacias ei cui mala omnia intentat Deus? intellige si in peccato persistat: nam si ab eo resiliat et pœniteat, Deus eum in gratiam recipiet, imo in sortem bonam justorum et filiorum suorum transferet. Unde ait: «Et misertus est pœnitentibus.» Quæ verba per antithesin respondent ei quod præcessit: «Non est bene eleemosynas non danti?» *q. d.* Sicut Deus male facit impenitentibus, ideoque per eleemosynas peccata non redimentibus: ita ex adverso miseretur et benefacit pœnitentibus, ideoque per eleemosynas peccata redimentibus. Dici tamen potius pœnitentibus, quam eleemosynam dantibus, primo, ut significet eleemosynam parum juvare, nisi dantem eas peccatorum pœniteat, imo nihil juvare si in peccatis persistere velit; secundo, ut significet eleemosynam ad pœnitentiam tantum disponere, pœnitentiam vero eleemosynam perficere, dum peccatorem pœnitentem justificat; tertio, ut innuat dantem eleemosynam solere a Deo per gratiam præveniri, impellique ad pœnitentiam, ut convertatur et justificetur.

4. De MISERICORDIA (perperam codex Complut. et S. Augustinus lib. III *De Doctrina Christiana*, cap. xvi, legunt *da misericordiam*; Græcè enim est *charis*, id est pio, misericordi), ET NE SUSCIPIAS (id

est juves, foveas, protegas) PECCATOREM. — Inter justos enim maxime digni sunt beneficentia et misericordia illi, qui in alios sunt misericordes, ut scilicet inveniant apud nos misericordiam ii, apud quos alii invenerunt, et sicut præstiterunt recipiant, juxta illud Christi: «Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur,» *Matth. v, 7.* Nota: Misericordi opponit peccatorem, quia peccatores solent esse immisericordes, ut justi solent esse misericordes, juxta illud: «Novit justus jumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia,» *Proverb. xii, 10.* Hinc in Scriptura justus vocatur *חסיד chasid*, id est pius et misericors, et justitia vocatur *חסד chesed*, id est pietas et misericordia. Vide dicta *Daniel. iv, 24.* Ratio est, quod charitas quæ constituit justum, eundem constituit et misericordem: charitatis enim est omnes amare, omnibusque benefacere. Ex adverso peccator caret charitate, et plenus est concupiscentia et amore sui, qui omnia ad se rapere, nihil aliis dare satagit.

ET IMPIS ET PECCATORIBUS REDDET VINDICTAM. — Hæc verba videntur esse transposita, ac præponenda ei quod dixit: «Da misericordi, et ne suscipias peccatorem;» nam si ei postponas, non recte cum eo cohærent. Unde ut cohæreant, Rabanus et alii pro *reddet*, legunt *redde, q. d.* «Tu, o homo, misericors in pios, redde impiis vindictam.» Sed perperam; sequitur enim, «custodiens eos in diem vindictæ,» quod non ad hominem, sed ad Deum pertinet. Sane Syrus æque ac Græcus, et S. Augustinus in *Speculo*, ea transferunt ad vers. 7, ubi Noster pariter eadem iterat. Sic et superius monti quædam alia hic et in Proverbiis videri transposita, sive ab Interprete, sive errore scriptorum. Verum quia Romani alique codices vetusti ea hoc loco ponunt, dico *et* ex phrasi Hebræa accipiendum pro *quia*, et rependum *et* *Altissimus*, quod paulo ante præcessit, nimirum *reddet* ille cujus est reddere, et qui vers. præced. nominatus est, scilicet *Altissimus, q. d.* Da misericordi non peccatori, quia Altissimus impiis et peccatoribus reddet non misericordiam, sed vindictam. Cur enim dabis ei, qui in peccatis velut sus in cœno vult volutari, cui proinde Deus non gratiam, sed ultionem parat? Cur per eleemosynam servabis a morte, quem Deus velut ovem occisionis reservat ad pœnam et gehennam?

Quæres, quo sensu Siraides hoc vers. et seq. prohibet beneficium conferri in peccatorem, cum sæpe illi eleemosyna conferenda sit, tum spiritualis, tum corporalis, idque ex præcepto, cum scilicet ipse in gravi necessitate est constitutus?

Respondet primo S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christiana*, cap. xvi, hoc præceptum figuratè esse accipiendum. Hunc enim duplicem dat canonem quo cognoscamus an verba S. Scripturæ sint proprie, an vero figurate intelligenda: «Si, inquit, præceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam

jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est.» Posterioris hoc assignat exemplum: «Scriptum est: Da misericordiam (eleemosynam), et ne suscipias peccatorem. Posterior pars hujus sententiæ videtur vetare beneficentiam. Ait enim: Ne suscipias peccatorem. Intelligas figuratè positum, pro peccato, peccatorem, ut peccatum ejus non suscipias,» *q. d.* Ne consentias, juves, foveas peccatorem ad perpetrandum peccatum; sic enim cooperaberis peccato ejus, et cum peccante peccabis. S. Augustinum sequitur Gregorius de Valentia, I p., Quæst. I, puncto 5, disp. 1, quæst. 1: «Ne suscipias peccatorem;» figuratè, inquit, hoc accipe, *q. d.* Ne promoveas vel adjuves peccatum hominis; nam paulo ante præcepit beneficentiam. Accedit S. Thomas II II, Quæst. XXXII, art. 9, ad 1: «Ne suscipias peccatorem, scilicet, inquit, quatenus peccator est; sicut neque ut talis est amandus, bene autem ut proximus;» et art. 2: «In peccatore, inquit, duo sunt, scilicet culpa et natura. Est igitur subveniendum peccatori, quantum ad sustentationem naturæ; non est autem ei subveniendum ad fomentum culpæ. Hoc enim non esset benefacere, sed potius malefacere.» Et S. Gregorius III part. *Pastor.*, Admonit. 21: «Panem suum, inquit, et vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo quod iniqui sunt, impendit. Unde et nonnulli hujus mundi divites, cum fame cruciantur Christi pauperes, effusis largitionibus nutriunt histriones.» Et S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. xxx: «Pulchrum, inquit, est eo largiri consilio, ut prosis, non ut noceas. Nam, si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adulteræ ad mercedem adulterii largiendum putes, non est beneficentia; officere enim istud est, non prodesse.» Et S. Gregorius Nazianzenus, *epist. 54 ad Anysium*: «Multa enim sunt, inquit, in quibus iis qui beneficium accipere putantur, injuria inferitur.» Et Rabanus hic: «Nonnulli divites, ait, cum fame cruciantur Christi pauperes, effusis largitibus nutriunt histriones.» Unde Bellarminus, lib. III *De Bonis Operibus in part.* cap. xii, censet Siraidei hic non loqui de eleemosyna quæ datur pauperi, sed de beneficio quod in amicum vel cognatum confertur, esto non egeat; quare eum prohibere, ne histrionibus, meretricibus, paratis pecuniæ effundantur. Item ne nimis ditentur filii, nepotes, amici, juvenes, qui inde accipient occasionem prodigalitatis, comessationum, luxuriæ, superbiæ, etc., juxta illud: «Ne cultrum puero.» Qua in re peccant sæpe parentes, Prælati, principes, qui suos quos amant, officiis, censibus, opibus, beneficiis onerant, ut iis incressentur sicut tauri, ac sua quasi pinguedine suffocentur, juxta illud *Psal. xvi, 10*: «Adipem suum concluserunt;» Chaldæus, *opulentia eorum multiplicata est, adipe suo operiti sunt.* Et *Psal. lxxii, 7*: «Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in

affectum cordis;» Chaldæus, *mutata est ob pinguedinem similitudo vultuum eorum.* Hi similes sunt animalibus et resinosis arboribus, quæ nimia pinguedine et humore strangulantur et intereunt, de quibus Plinius, lib. XVII, cap. xxiv: «Et cum radices, ait, pinguescere cœperunt, intereunt, ut animalia nimio adipe.» Hoc sane non est amare, sed odisse; non fovere, sed occidere. Hinc talibus beneficia sunt veneficia, opes sunt fomenta scelerum, ac consequenter fomenta gehennæ. Quare in die judicii maledicent parentibus, Prælati et principibus, qui eas sibi dederunt, quod se impinguarint, ut validius arderent in gehenna. Accedit Lyranus, *ne alas peccatorem*, id est, *obstinatum*, inquit, *qui ex bonis tuis foveretur in peccatis.* Peccator enim est, qui habet habitum et studium peccandi, adeoque peccatis est affixus et immerus.

Secundo, Auctor *Imperfecti in S. Matthæum*, apud S. Chrysostomum, *homil. 26*, respondet magnam eleemosynam dandam esse pio, parvam impio, eo quod illa magnam, hæc parvam habeat mercedem. Scriptum est, inquit, *Galat. vi*: «Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.» Qui dat infideli, modicam habet mercedem; qui autem fideli duplicem habet mercedem: primam quidem, quia fidelis Dei creatura est; secundam, quia idem Dei servus est; infideli dans unam tantum habet mercedem, scilicet quod infidelis Dei quidem creatura est, voluntate autem adversus Deum. Addit Auctor *Imperfecti*, cum dicitur: «Ne suscipias peccatorem,» intelligi publicum aut notum; nam S. Chrysostomus, *serm. De Eleemosyna et collatione in Sanctos*, qui exstat in fine *Comment. in Epist. I ad Corinth.*, docet pauperes non esse curiose scrutandos. Cum enim dixisset, quod dando eleemosynam, «non tam pauperibus quam nobis prosumus, plura accipientes quam dantes,» subjicit: «Sunt permulti qui nonnunquam curiosius rogant et inquirunt patriam et vitam, mores et artem, et corporis bonam valetudinem, et inde crimina intentant, et ob sanitatem de eis pœnas exposcunt. Hinc fit quod multi etiam cæcitatem corporis simulant, ut ejus calamitatis actu crudelitatem humanitatemque nostram inflectant.» Et inferius: «Quod si Deus ita diligenter nos scrutaretur, uti nos causam pauperum, nullam unquam misericordiam vel veniam assequeremur; in quo enim judicio judicatis, dicit, et vos judicabimini. Est igitur misericors et benignus conservo, dimittenturque tibi peccata multa: miserere, et eandem sententiam invenies. Quid tibi ipsi negotia plectis, quid curiosus es?»

Tertio, alii: Da misericordi, non peccatori, hoc est, inquit, da misericordi potius quam peccatori, ut, si uterque concurrat, nec utrique dare possis, des potius justo, eumque præferas impio. Hebræi enim, quia carent gradu comparativo, hinc eum exprimunt per negationem, scilicet

affirmando majus, negando minus, ut, « Misericordiam volui, et non sacrificium, » id est misericordiam malo quam sacrificium, misericordiam præfero sacrificio, *Osee* vi, 6. Vide ibi dicta. Inter probos enim et improbos in eleemosyna antepositi sunt probi, tum quia sunt digniores, tum quia id utilius esse potest eleemosynarum largitoribus, at docet Nazianzenus, oratione *De Pauperum cura*, S. Hieronymus, *Contra Vigilant.*, et S. Chrysostomus orat. *De Pauperibus non curiose scrutandis*. Improbis ergo, otiosis, inutilibus et pigris manus claudi debet, quo sit unde veris pauperibus benignius subveniatur. In quo imitandus est mos equisonum, inquit Hebræi, qui equorum caudas abscindunt, quod ob id equi certa contractioris alimenti ratione, et spinæ robore fortiores evadere existimantur.

Ita D. Thomas II II, *Quæst.* LXIII, et in *Quodlib.* Quæst. VI et VIII, ubi docet quemlibet in conscientia obligari, ad beneficia eligere meliorem et digniorem. Idem docet Richardus Major, D. Soto, lib. III *De Justitia*, Quæst. ultima, art. 2, et alii. Quocirca S. Augustinus lib. *De Doctrina Christiana*, cap. XXIX : « Omnes, inquit, homines æque diligendi sunt; sed, cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur; » quare in beneficio præponendi sunt parentes cognatis, cives peregrinis, domestici exteris, grati ingratis, digni indignis, boni malis. Nam, ut ait Lucianus : « Malus vir dolium est perforatum, in quod omnes immittens gratias in vanum effudisti. » Et Sophocles in *Oedipod.* : « Gratiam adfert gratia, beneficium semper beneficium parit, » si scilicet digne collocetur. Esto ergo is qui beneficium dat, non debeat eo fine dare, ut remunerationem accipiat, tamen, ut illud bene collocet, videat ne det ingrato et indigno. Unde illud Ciceronis : « Liberale est serere beneficium, ut metere possis fructum. » Sicut ergo præmiis scholasticis magis honorandi sunt discipuli magis studiosi, et militaribus milites magis strenui, sic et beneficiis ornandi boni præ malis : sic enim ornatur ipsa bonitas et virtus. Si enim secus fiat, dicitur vetus illud : « Cæsar dum indignos ornavit, non tam ipsos honestavit, quam ornamenta ipsa turpavit. » Denique hic est ordo honestatis et charitatis, quem ambiens sponsa ait, *Cant.* II, 4 : « Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. »

Quarto, per peccatorem hic accipe assiduum in malis, ut dixit vers. præced., hoc est impotentem et obstinatum, præsertim superbum, dolosum et insidiatorem, de quo multis egit in fine capitis præcedentis; et hic in Scriptura vocatur peccator per antonomasiam. Huic enim non est conferendum beneficium indebitum et liberale (de quo hic proprie agit, non de eleemosyna ob necessitatem debita), tum ut humilietur, pœniteat

et respiscat; tum ne ille potentior fiat, teque dolose supplantet; tum quia talis odibilis et execrabilis est Deo. Has causas assignat Siracides, dum mox subdit : « Ne in ipsis potentior te sit; nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi; quoniam et altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. » Siracidi consonat Ben-Sira *Alphabeta* I, littera *Teth* : « Bene malo ne facias, inquit, et malum non continget tibi. » Sæpe enim bonis nocere beneficia in malos collata : sic et clementia multis principibus, qui ea usi fuerunt erga malos, exitio fuit. Exemplis plenæ sunt historia. Maxime vero improbis non sunt conferendi honores et dignitates; his enim ipsi abuti solent in bonorum omnium et totius Reipublicæ perniciem, et his armati potentius in bonos grassantur. Caveant ergo aulici ne pro impiis apud principes intercedant, ut eis beneficia, officia et dignitates procurent, quia omnis eorum mala administratio ac noxa Ecclesiæ et Reipublicæ in commendantium et promoventium caput recidet, ab eisque severe exigetur in tribunali Christi.

Huc facit apologus Phædri (qui fuit libertus Augusti Cæsaris), lib. I, *Fabul.* 8 de lupo et grue : Lupus, inquit, petiit a grue ut os devoratum hærens faucibus longitudine colli eximeret. Exemit grus suo cum periculo; pro quo postulans præmium, hoc a lupo retulit :

Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postulas.

Et ille Isocratis ad Demonicum : « Malis beneficiens, inquit, similia patietur alienos canes pascentibus : nam et illi exhibentes, ut obvios allatrent; et improbi, juvantes se ut nocentes injuria afficiant. » Et Plutarchus in *Moral.*, benefacere malo, ait esse idem quod nutrire serpentem, qui te æque ac alios mordeat. Et Alexander Magnus « in eodem vitio ponendum esse » dicebat, « dare indignis, et dignis non dare, » ait Maximus, *serm.* 9.

Alias simplici peccatori egenti conferenda est eleemosyna ex obligatione charitatis et misericordiæ, primo, quia peccator ejusdem nobiscum est naturæ, puta homo nobis congener. Unde Rabanus : « Qui indigenti, inquit, eleemosynam tribuerit, nec eum propter delictum aliquod commissum spreverit, bene misericordiam jure custodit, quia natura in eleemosynarum largitione consideranda est, non persona, » quod scilicet sit peccator. Ita Aristoteles cum beneficium præstisset improbo, dicebat se homini dedisse : « Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum. Etiam improbis in necessitate succurrit vir bonus. Debetur enim hoc officium, si non meritis illius qui juvatur, certe naturæ. Et bonus fieri potest qui malus est » Ita refert Lae filius lib. V, cap. 1. Et Seneca lib. IV *De Benef.* cap. XXV : « Si deos, inquit, imitaris, da etiam ingratis; nam et sceleratius

sol oritur, et piratis maria patent. » Idem, lib. I, cap. 1 : « Demus beneficia, non feneremur. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit cum daret. » Narrat Victorinus lib. XVI, cap. VIII, Alconem adeo sagittandi fuisse peritum, ut cum filium videret serpente circumplexum, ita dextre sagittam librarit, ut serpentem confixerit, nec filium læserit. Unde Virgilius *eclog.* 5 :

Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Ita sapientes et justii culpam a natura, ac peccatum ab homine secernunt; illud oderunt et necant, hunc amant et promovent. Denique S. Ambrosius lib. IV, epist. 29 *ad Florianum* : « Omnibus te tribue, inquit, non eligas cui miserearis, ne forte præferas illum qui meretur accipere. Incertum est enim pro quo magis placeas Deo. » Huc facit illud : « Bonus bonis et malis prodest; malus nec bonis nec malis. » Et illud : « Da cæcus, accipe oculus; » nam

Sapius insidiæ latitant, et plura reposit
Pauper, cum donat munera divitibus.

Ubi tamen adverte naturam humanam præcise non esse objectum charitatis, sed tantum amoris naturalis; hic enim fertur in, et amat naturam sibi similem. Nam charitas cum sit virtus supernaturalis et divina, exigit pariter objectum supernaturale et divinum. Igitur ut homo vel peccator charitate ametur, debet considerari non tantum qua homo, sed qua capax gratiæ et gloriæ, qua creatus ad æternam felicitatem, qua sanguine Christi redemptus, qua vocatus ad amicitiam, filiationem et hæreditatem Dei. Charitas enim est amicitia inter Deum et homines, quæ fundatur in communicatione bonorum divinorum, puta beatitudinis divinæ, quam Deus hominibus communicat, ait D. Thomas II II, *Quæst.* XXIII, art. 4. Vide eundem *Quæst.* XXV, art. 6.

Hæc ergo secunda et potissima est ratio cur beneficiendum sit peccatori, ut scilicet per beneficia alliciamus eum ad amorem nostri et Dei, ad pœnitentiam, ad salutem; aut saltem ut impediamus vel minuamus ejus lapsus in peccata, et consequenter minuamus ejus pœnam et gehennam. Ita legimus Sanctos eleemosynis redemisse patriationem scelerum, uti fecit S. Vitalius, qui meretricibus ut qualibet nocte abstinerent a scelere, tantum pretii quotidie persolvebat, quantum illæ nocte ex scelere acquirere potuissent, atque hæc sua charitate æque ac oratione, multas pudicas effecit, et ad pœnitentiam convertit. Ita habetur in Vita S. Joannis Eleemosynarii, cap. XXXV. Alii eleemosynam dant hac conditione et pacto, ut eam accipientes peccata confessione expient, ut Missam audiant, ut offensam et vindictam condonent. Quæ sane duplex est eleemosyna, ac posterior, utpote spiritalis, longe major priore. Hic enim est omnis fructus eleemosynæ, totiusque laboris Christi, et nostri, ut auferatur peccatum,

ait Isaias cap. XXVII, vers. 9. Peccatum enim est summa Dei injuria, summum proximi et totius universi malum.

5 et 6. DA BONO, ET NON RECEPERIS (Græce est idem verbum quod vers. 4, ἀντιδοῦν, id est suscipias, hoc est, subleves, adjuves, defendas) PECCATOREM; BENEFAC HUMILI, ET NON DEDERIS IMPIO, — puta superbo et doloso, uti jam dixi; hic enim opponitur humili : humilis enim dignus est eleemosyna, superbus vero indignus, imo dignus qui esuriat et egeat, ut discat se humiliare. Tigurina, *erga pium liberalis esto, sceleroso vero opem abnega : afflicto* (καταλιπὼν enim tum humilem, tum abjectum afflictumque significat) *benefacias, et nihil eroges in impium*; Syrus, *benefac bono, et prohibe a malo ; da humili, et prohibe ab audace*, quales sunt nonnulli, qui ita audacter mendicant, ut videantur non eleemosynam, sed debitum petere, ac, si neget, minentur, imo vim afferant; qui sane non panem sed fustem merentur.

PROHIBE PANES ILLI DARI (ita Romana; aliqui legunt dare; Græce, *impedi panes illius*, vel, ut Complutenses, *tuos, et dederis ei*), NE IN IPSIS (id est, per ipsos) POTENTIOR TE SIT, — ad nocendum tibi alisque, et toti reipublicæ q. d. Netuo beneficio et patrocínio fiat potentior, tuncque pro beneficio grave maleficium rependat, ut sequitur. Græce est, *tu μὴ ἐν αὐτοῖς σε δυνατώτερη*, id est, ne in ipsis tibi dominetur, te supprimat et opprimat : ita Romana et Complutenses. Tigurina vero, *fac eum tibi prohibeas, nec suppedites ei, quibus te possit opprimere*; Syrus, *instrumenta armorum tuorum ne dederis ei, ne cum eis pugnet adversum te*. Hinc patet per peccatorem intelligi non quemlibet, sed superbum et dolosum, uti dixi. Causa enim cur vetet dari peccatori, est, ne is dono elatus donantem supprimat; quod non nisi in superbum et dolosum congruit.

7. NAM DUPLICIA MALA INVENIES IN OMNIBUS BONIS (beneficiis), QUÆCUMQUE FECERIS ILLI, — « Duplicia, » id est multiplicia, adeoque quo plus ei benefeceris, eo plus maleficii ab eo recipies. Syrus, *duplum enim malum invenies tibi in tempore necessitatis tuæ*. Duplum, quia et beneficium perdidisti, et per id hostem potentem effecisti, ut pro beneficio reddat maleficium. Hinc illud Socratis : « Malis faciens bene, nutrit lupos, » de quo plura vers. 10 et seq.

QUONIAM ET ALTISSIMUS ODIIO HABET PECCATORES, ET IMPIS REDDET VINDICTAM. — Est hæc secunda ratio, q. d. Ut quid ames peccatores quos odit Deus? ut quid beneficentiam impendas hostibus Dei, quos Deus reservat ad acerrimam vindictam? Repetit et inculcat id quod dixit vers. 3. Vere S. Augustinus, et habetur 5, *Quæst.* V, cap. 1 *Non omnis* : « Utilius, inquit, panis esurienti tollitur, si de cibo securus justitiam negligit, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat. »

Mystice Rabanus, Glossa et Hugo per peccatorem accipiunt hæreticum. Hic enim peccator est per